

**Programma, Quo Rector Et Consilium Universitatis Rostochiensis Suos Cives  
commonefacit, Ut praesens Bacchanaliorum tempus non asotiae & lasciviae sed  
piis Meditationibus impendant**

Rostochii: Kilius, 1644

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn734813279>

Druck Freier  Zugang



R U Progr. 1644

- 1) Progr. contra Pucchanalia
- 2) Joach. Stockmann
- 3) Johann Lothmann
- 4) " " "
- 5) Johannes Reinstorp



PROGRAMMA,  
*Quo*  
RECTOR  
ET  
CONCILIIUM UNI-  
VERSITATIS ROSTO-  
CHIENSIS

*Suos Cives commonefacit,*  
Ut præsens BACCHA-  
NALIORUM tempus non a foriæ  
& lasciviæ sed pijs Meditationibus  
impendant.



ROSTOCHII,  
*Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogr.*  
ANNO M. DC. XLIV.



Tſi aliis etiam temporibus reperi-  
 antur, Ebrietati, crapulæ & ſimili-  
 bus vitiis qui indulgeant, & Tur-  
 pe quod eſt, quovis tempore Tur-  
 peſit, ſemperq; fugiendum; nescio  
 tamen quâ fiat, quod Bacchanaliorum tempore  
 diſſolutius vivatur, & vulgus hominum tum ſibi  
 licere opinetur quod aliàs non licet; Néc vul-  
 gus ſolum ita opinetur, ſed & inter ipſos etiam  
 Virtutis, ſapientiæ ac pietatis ſtudioſos (id enim  
 eſſe debebant omnes) nonnulli inveniantur, qui  
 cum rudi & malè ſano vulgo idem ſentire & crede-  
 re videntur. Jam nunc licentiæ & laſciviæ apertas  
 eſſe fores, jam impietati & ſcleri conſeſſum pri-  
 vilegium, jam ſignum exercendæ aſotix quali ex  
 arce prolatum; Cum tamen, nullo tempore quæ  
 licent, hoc ipſo tempore minime liceant. Siqui-  
 dem præſens tempus non luxui & laſciviæ hilari-  
 tati deſtinatum eſt: ſed Meditationi triſtiſſimæ  
 paſſionis Redemptoris & Salvatoris noſtri Jeſu  
 Chriſti.

Qui à ſocio ſuo & amico innocens ſalutatus  
 & pro nocente traditus eſt, Qui captivus, & ma-  
 nus vinc-tus, hinc inde, modo ad Hannam, modo  
 ad Caiphã, modo ad Pilatum, traductus, ut ju-  
 licaretur vivorum & mortuorum olim futurus

judeus.

judex, Qui illusa simplicitate, mendaciis & fraudibus oppressa veritate, iniquissimè condemnatus. Cui Regum Regi calones & vilia mancipia insultarunt, cujus divinam faciem, (ad quam Cœlū & terra contremiscit) fœx nebulonum & manipulus furum velo obduxit, pugnis & oris excrementis oneravit. Cujus caput aculeatis sentibus perforatum, coma multo sanguine concreta, nares colaphis contritæ, Thorax, reliquumq; corpus virgis flagellatum est, ut nulla pars aut dolore aut opprobrio vacua relinqueretur. Horum meditationi destinatū est præsens Tempus, Et Tu illud, ô Nequam homo, quisquis es, Tu crapulæ illud, Libidini, Lasciviæ, personatis gesticulationibus, aliisq; futilitatibus & ineptiis destinare audebis? Vox tui Salvatoris, pro te traditæ victimæ, obmutuit, & Tu clamoribus, tumultibus & rixis tranquilla noctis silentia, imo & diei turbare, temulentas pugnas & cædes movere, perfriçta fronte non erubesces? Quin cogitas manus indignis vinculis constrictas, faciem fædo sputo maculatam, caput spinis punctum, corpus flagellis concisum, (quod dixi,) Tui Redemptoris esse; Qui tibi, non sibi talia passus est, Qui Tui, non sui causa, tanquam publicū Bidental, extra urbem, ad locum sceleratorum pænis infamem abductus & inter Cœlum & Terram, cœli

terraq; Monarcha cruci affixus vitam miserè de-  
posuit. Quin cogitas continendas à pugnīs & cæ-  
de manus, parcendum aliorum corpori, capiti &  
vitæ, Quin cogitas quantopere DEUS detesterur,  
& quàm severe puniat peccata, cum neq; Unigē-  
niti filij sui pepercerit, aliena tantū, non propria  
delicta luētis. Quin cogitas eundem DEUM  
Zeloten, qui ignis devorans est, etiam tuorum  
scelerum gravem fore vindicem, cujus nec sa-  
pientiam fallere, nec potentiam effugere, nec  
justitiam corrumpere poteris, qui nullum am-  
plius vel Intercessioni, vel precibus, vel lacrymis  
locum dabit, sed uno verbo peremptoriam pro-  
nunciabit sententiā, quā Maledictos à se discede-  
re, & in stagnū ignis & sulphuris abire jubebit, ad  
pænas perpetratis facinorib9 dignas sustinendū,  
gravissimas, ineffabiles, infinitas, æternas, quas  
non parū exacerbabit vermis ille nunquā mori-  
ens, scelerum commissorum conscientia, divinæ  
Majestatis, ejusq; desideratissimi conspectus pri-  
vatio, & perpetuum cum Diabolis consortium.  
Hæc cogita O homo! & insuper præsentia tem-  
pora non solum hoc modo, piè & religiosè, sed &  
prudenter tecum perpende. Græcus senarius est,  
*ὁ θεὸς σιδηρὸν πάντα μαρμαίρει πέλας.* Præsentē ferro nemo  
talia desipuit. Annon ferreum verè hoc est seculū,  
quo tot armati, Cathaphracti, circumquaq; lo-  
ricati

ricati & toti quasi ferrei homines ubicunq; locorum conspiciuntur? An non stricti gladij etiam nos ipsos terret vicinia? Et quidni terreat, siquidem minora etiã pericula qui negligit, incautus, imprudens & cæcus est, qui contemnit, temerarius, impudens, impius. Agnoscamus igitur præsens ferrum, nec Bacchanalia desipiamus, agnoscamus præforibus quod est, & cervicibus modo non imminet malum, totoq; pectore devotissimas clementissimo D E O gratias agamus, quod in acie novaculæ toties constituti, jam-pridem non simus consumpti; Eiusdemq; patrocinium ardentibus precibus porrò imploremus, culpam deprecemur, piè modesteq; vivamus.

Atq; hæc sunt, quæ præsentis temporis conditionem, miseram rerum faciem, & metuenda inde pericula considerantes, tum nos ipsos, tum alios monere voluimus, debuimus, & imprimis studiosos, quorum magnam partem, quia immatura & cruda adhuc ætas est, etiam minus molles sunt mores, & acres cupiditates, ut quicquid cupierint cæco impetu statim moliantur, & quicquid libet licere putent, affines incontinentiæ, proni ad iram; qui exorbitantes animi motus recta ratione compescere vel nolunt, vel non possunt, & à magistratu & legibus compesci ægrè ferunt, libertatem nescio quam Academicam



sibi imaginantes. Cum tamen DEO & legibus parere summa sit libertas, & libertatis fundamentum leges sint, sine quibus nec domus ulla, nec civitas, nec gens, nec hominum universum genus stare, nec rerum Natura omnis, nec ipse mundus potest. Quarum (Legum puta Academicarum) ut ex nostris Tabulis unam atq; alteram hac occasione reperam, summa efflagitat necessitas, siquidem clamores & nocturnos tumultus, provocationes item, & digladiationes insolita indies incrementa sumere non sine summo dolore percipimus.

### Est autem Lex Duodecima:

*A nocturnis diurnisq; discursationibus, beluinis clamoribus, & boatibus, ab omnibus injuriis, vi vel fraude, verbis vel factis aliorum corpora & famam ledentibus, à seditiosis tumultibus, adium oppugnationibus, sub pœna Carceris vel Relegationis, abstineant.*

### Et decima Quarta Lex est:

*Nemo ex privata provocatione, vel intra mœnia, vel extra oppidum confligat, Qui alios ad dimicandum provocat, & qui provocatus confligit cum provocante, id sciat, se hoc ipso facto in Relegationis pœnam incurrisse. Quid enim interest (ut Tertulliani verbis utamur) inter provocantem, & provocatum,*

tum, nisi quod ille prior in maleficio deprehenditur,  
at ille posterior, tamen uterq; lesi hominis DEO  
reus est, qui omne nequam & prohibet & damnat.

Cui annectitur decima quinta:

Qui provocanti hoc praestat servitium, ut ejus nomine  
alium provocet, ipsi tanquam iniquitatis admini-  
stro mercedem carcerem promittimus.

Ita nostræ habent leges, quibus vos, Cives,  
juratam obedientiam debetis, & nos hanc addi-  
mus comminationem; in quosvis delinquentes  
communi suffragio Reverendi Concilij severissi-  
mè animadversum iri, etiam tum cū nullæ ad nos  
deferentur querelæ & accusationes. Quin etiam,  
(ne quis, suo adjumento si forte tale quid sibi ac-  
cerfat mali, nostram solum severitatem incuset,  
seq; non præmonitum dicere possit) hoc ad-  
dendum & præmonendum duximus: Præfe-  
ctum vigilum eos, quos noctu in tali aliquo facto  
deprehenderit, Et, alios quoscunq; quocunq;  
tempore strictis gladiis privaturum, esse & hos  
etiam Carceri inclusurum. Quod sibi ne con-  
tingat, quilibet pietatis & honestatis & pro-  
priae salutis amans sedulo præcavebit, & si quan-  
do jã ante quocunq; errore deviavit, prævia hac  
nostra commonefactione, recta via ad meliorem  
mentem, & præscriptarum legum observantiam  
redibit, idq; tanto promptius faciet, quanto fre-  
redi-

quentius in memoriam revocabit, in horto agonizantem, in urbe patientem, in monte morientem, JESUM DEI filium, qui per famem, per sitim, per calamitates, per injurias, per flagra, per sputum, per sanguinem, per fellis aceti; haustum, per mortem, per sepulchrum, propter alienas Legum transgressiones, horrendum illud sustinuit supplicium, ad quod Cœlum & terra tunc expavescebant, trepidabat contracta tellus, petra solidissimæ dissiliebant, Elementa præ horrore nutabant omnia, & sol insolita caligine involvebatur.

Eundem Salvatorem & servatorem nostrum, cujus nutu & auspicio nata & aucta est hæc nostra in Varni littore Academia, supplices rogamus, ut porro illam placatus propitiatusq; servare, fovere & protegere velit, cum tota hac civitate & provincia, & cœlitus desideratissimam pacem terris restituere.


*P. P., Sub Sigillo Academ. 3 Martij.*







Ferris per urbem pipu  
Heic disce parvo victi  
Odisse luxum. Vivit  
- Heic famæ hirudo  
Hic Cres, & ore mella  
Fet corde condit, ac Si  
Decipere gaudet nesci  
Innoxiumq; fraudis &  
Mentem referre discat  
Fraudum involucria pe  
Et pejus angue. regiam  
Nunc ipsa terris Verita  
**Q**ui tumidus arte  
Scientiasq; ne nimis  
Pecudes quod inter vol  
Legis peritos error int  
Ergo imperitus nemo  
Audis, ut ipse, qui DE  
Balbutit infans. Cæter  
Pecudum magistros, car  
Sufficere docta debet  
Sed ista, quæ nos per fid  
Ad te redimus, ro  
A quo, perenni ut fons  
Dum tu Redemptor nasc  
Et imperatrix Roma ge  
Alram quietem, bella p  
Sed nos acerba fata Ge  
O statue nostris deniqu  
Finemq; cladi: tuta  
Ferrum omne teneat in



ne,  
ne.  
vibex boni,  
suo,  
oli,  
am.  
rreat,  
n.  
aco sui  
**D**EUS,  
oi.  
est,  
nabes  
mplex genus.  
acit.,  
atris,  
unt bona,  
caput  
nt.  
unt.  
nodum,  
alat,  
labor,  
**E**nsesq;ue